


600047770V

Zu

der am 29. und 30. März abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

aller Klassen des Elisabet-Gymnasiums

und zu der damit verbundenen

Redeübung und Entlassung der Abiturienten am 31. März

ladet

die Beschützer, Gönner und Freunde des Gymnasiums und des Schulwesens überhaupt

ehrerbietigst ein

Dr. Karl Rudolph Fickert,
Rektor zu St Elisabet.

Inhalt: 1) De epigrammatis graeci historia. Spec. I. Scripsit Julius Haenel, Collega Elisabetanus.
2) Schulnachrichten.

Breslau, 1852.
Gedruckt bei Grass, Barth und Comp. (W. Friedrich.)

DE

EPIGRAMMATIS GRAECI HISTORIA.

SPECIMEN I.

SCRIPSIT

JULIUS HAENEL.

CAP. I.

Veteres Graecos cum omnium fere literarum artiumque inventores, tum primos fuisse constat, qui, quum variis rebus publico usui vel conspectui destinatis, veluti templis, aris, statuis, cippis inscriptiones non affigerent tantum, id quod etiam ab aliis antiquitatis populis ex parte factum scimus, sed eas metri legibus mature adstrictas ingeniosa rerum sensuumque interpretatione ad artis perfectionem excolerent, novum conderent poësis genus, ipsis proprium nec posteriorum studiis exaequatum. Quo genere deinde latius propagato summaque cum diligentia culto omnes fere vitae res contineri, praeclare facta egregie illustrari, mores aptissime pingi, praecepta utilia efficienter commendari cum intellectum esset, neque historicorum, oratorum, philosophorum principes insertis epigrammatis aspernati sunt vel rerum fidem firmare vel perpetuam variare orationem, et exstiterunt qui, utilitatem maxime spectantes, quae in publicis monumentis imprimis donariis insculpta invenissent epigrammata, studiose describerent et in libros colligerent. Cum ex his, tum ex ipsis poëtarum libris, aliud consilium secutus, Meleager Gadarenus, flores decerpsit, quibus *coronam* necteret, tanquam gratum omnibus Musarum amantibus donum [1]). Meleagri per vestigia incessit Philippus Thessalonicensis, qui item coronam condidit; alii alio consilio et ordine collecta epigrammata ediderunt Diogenianus, Strato, Agathias. Constantini denique Porphyrogenetae, ut videtur, aetate, qua singulare exarserat studium maiora veterum scripta coartandi et gravissimis capitibus excerptis quasi in compendium redigendi, Constantinus Cephalas, simili ratione usus, soluto illo ordine, quo coronae et Agathiae *cyclus* concinnata erant, secundum argumentorum maxime rationem epigrammata in singula capita, suo ipsius arbitrio constituta, transscripsit inque ea epigrammatum tantum

1) Cf. Meleagri ep. I. v. 57. sqq. Anthol. Palatinae IV. n. 1.

delibavit, quantum ei ad cuiusque generis, velut amatorii, sepulcralis, aliorum indolem cognoscendam sufficere videbatur. Qua viri ceteroquin ignoti sedulitate etsi neque omnia, nec fortasse optima quaeque antiquiorum praecipue poëtarum epigrammata servata fuerint, opus tamen conditum est, quo cum sat larga praebeatur epigrammatum copia e priscis illis thesauris petitorum, tanquam fundamento utare ad iudicium de epigrammaticae Graecorum poësis et indole et progressu probe faciendum. Hic liber Cephalanus post varia fata[2]) tandem editorem nactus est Fridericum Jacobsium, „cui uni plus debet salutis et ornamenti Anthologia graeca, quam ceteris omnibus, quotquot suavissimo huic Musarum diverticulo operam aliquam tribuerunt" [3]). Namque praeter textum ad codicis Palatini fidem accurate constitutum utilissimisque illustratum commentariis nec quae in Palatino omissa Planudeae soli debentur epigrammata adiicere nec colligere neglexit, quae ve apud veteres scriptores vel in marmoribus servata sunt, ut iam uno hoc opere, quae de epigrammate accuratius quaesituro opus essent, omnia collecta ac paene confecta viderentur. Attamen acerrimo inter nostrates literarum graecarum studio accenso cum supellex literaria in dies augeretur, etiam huic rei haud parum et incrementi et praesidii accessit e Boeckhii[4]) et Welckeri[5]) libris, nec defuerunt, qui, cum Palatinus multis in locis aperte depravatus sit, epigrammatis artis criticae ope emendandis et in pristinum nitorem restituendis operam navarent.

Diu ante instauratam Anthologiam cum misere adhuc disiecta sordibusque paene obruta iacerent, naturali tamen venustate quaeque nulla unquam temporum iniquitate prorsus restingui potuerat pulchritudine haec poëmatia doctiorum hominum animos adeo allexerant devinxerantque, ut alii colligendorum, emendandorum, perpoliendorum sibi sumerent laborem, alii, re paullo altius repetita, de artis, qua condita essent, natura et indole quaererent, argumentorum rationem adumbrarent, notione denique quoquo modo definita, certa quaedam genera statuere conarentur. Singillatim de epigrammate iam Graecum hominem scripsisse, Neoptolemum Parianum, Athenaeus auctor est (l. X. p. 454 E.)[6]), cuius praeter nomen nihil est reliquum. Qui post renatas literas de epigrammate egerunt vel in libris singularibus[7]) vel in institutionibus poëticis[8]), quae utilia proposuerant, in rem suam converterunt, prave disputata refutarunt duo viri,

---

2) Narrantur a Fr. Jacobsio in Proll. ad Tom. VI. ed. Lips.

3) Passovii verba sunt in quaestione de vestigiis coronarum Meleagri et Philippi in Constantini Cephalae Anthologia Opuscc. Acadd. p. 187.

4) Corpus inscriptionum graecarum. Berol. 1828 sqq.

5) Sylloge epigrammatum graecc. ex marmoribus et libris Bonnae 1828.

6) Cf. Jacobs l. l. p. XXXVI.

7) Laudati sunt ab Herdero operum, quae ad bonas literas pertinent, tomo X. p. 163.

8) Diligenter indicavit Genthius in novorum annalium Paedagogii Magdeburgensis tomo I. fasc. IV. p. 1. sqq.

in nostris literis longe principes, Lessingius[9]) et Herderus. A quibus plurima profecto prolata sunt, quae vel ingeniose inventa praedices vel rectissime animadversa, res tamen ipsa, quam sibi sumpserant, nondum confecta et quasi profligata est. Arctioribus enim finibus poësim epigrammaticam circumscripsit Lessingius et, cum totam vellet illustrare, unum tantum genus idque inferiore aetate excultum adumbravit; Herderi disputatio latius evagatur et nimis multa ponit genera, quae cur nata et quo tempore quove modo alia ex aliis profecta sint non edocemur. Cui incommodo ut medeatur simplicioremque revocet divisionem Genthius[10]) totam epigrammatis vim in docendo ponit et didacticae, quam vocant, poësi tanquam singulare aliquod genus epigrammaticum annumerat (p. 8), cuius tres statuit species (p. 15) *elegiacam*, ad sensus commovendos aptam, *didacticam* ad mores emendandos, *satiricam* ad castigandam stultitiam risumque excitandum. Attamen ut in universum nos dissentire taceamus, haec divisio iam ex artis logicae praeceptis improbanda videtur, quippe quae non uno quasi fundamento nitatur; nam *elegiacum* cum carmen aliquod nominamus, formam magis metrique rationem indicare volumus, *didactici* nomine imposito finem et consilium significamus. Deinde vero tertia, quam statuit, species nulla est; aut enim vitia castigantur pravique perstringuntur mores, ut contrarius virtutis nitor clarius exsplendescat longaque laudatione efficacius commendetur, quae carmina secundae Genthii classium annumerari debent; aut lepide tantum perversa hominum studia poëta ludit eundemque, quo perfusus est, hilaritatis sensum etiam in nostris animis provocare studet; tale carmen elegiaco generi attribuendum est, a quo neque ludos alienos fuisse ipse monuit auctor (p. 16.) In appendice aliam divisionem a Grokio[11]) prolatam recenset, ita tamen, ut pauca inde, quae ad rem nostram faciant, peti posse videantur.

Qui postea de epigrammate graeco scripsit A. Vogelmannus,[12]) historica via incedendum docendumque esse censet, quo quasi vinculo epigramma cum reliquis poësis generibus nexum fuerit (p. 406.); et recte id quidem, at quod in aliis reprehendit eos attigisse tantum dicens, sed citius reliquisse historiae fundamentum, id ne ipsi acciderit, valde veremur. Postquam enim epigramma et mature ortum et cum universa Graecorum poësi aptissime coniunctum fuisse docuit, eadem cum illa quasi stadia percurrisse contendit, ut initio epicum fuerit, lyricae deinde poësi sese accommodaverit, exorta denique et vigente arte scenica et ipsum dramaticum assumpserit colorem. At haec speciosius disputata videntur quam verius; nomina tantum

---

9) Variae annotationes de Epigrammate Opp. Tom. XVII. p. 73 sqq.

10) Loco supra laudato.

11) Th. Guil. Grokius: de epigrammatis theoria denuo constituenda. Berol. 1826. Libri inspiciendi facultas nonfuit.

12) Cf. Jahnii Annall. a. 1840, supplementorum vol. VI. fasc. III.

insolentiora epigrammati affinguntur[13]), indoles ipsa atque historia non illustratur. Ut enim ad epicae poësis similitudinem simpliciora priscae aetatis epigrammata efficta sint, ab epica tamen poësi haec prorsus aliena sunt, quippe quae aliud consilium alia via sequatur. Neque magis proficimus ad veram epigrammatis naturam perspiciendam, si id genus, quod colloquii forma distinguitur, Vogelmanno auctore dramaticum appellamus, cum nulla praeterea epigrammati sit cum arte scenica communitas.

Qui denique universae poësis graecae historiam tractarunt, Ulricius, Bodius, Muellerus, Bernhardius, studiis ad ampliora et nobiliora poësis genera magis intentis, brevia haec poëmatia loco suo commemorarunt paucisque illustrarunt, historiam non condiderunt. Solus Bernhardius, qui poësim Graecorum usque ad graeci nominis interitum prosecutus est, inferioris aetatis poëtas epigrammaticos recensuit et Anthologiae fata narravit.[14])

CAP. II.

Quodsi haec de epigrammatis natura et indole quaestio nondum ad finem adducta atque absoluta est, eius rei hanc potissimum caussam esse iam indicavimus, quod proba historiae adumbratione adhuc caremus. Ut enim quaevis res, quae non in cogitatione sola posita, sed certo quodam tempore nata, mutata, exstincta est, nisi temporum illorum mutationumque ratione diligenter habita perspici et explicari nequit, sic etiam qui epigrammatis indolem probabili disputatione illustraturus est, non in notione generatim definienda totus haereat, sed, quoad eius fieri potest, demonstret necesse est, a quibus initiis ortum, quo tempore quibusque auctoribus cultum, politum, amplificatum a pristina simplicitate ad eam praestantiam pervenerit, quam in optimo quoque Anthologiae poëta admiramur; quae denique caussae fuerint quibusque temporibus factum sit, ut, reliquis poësis generibus longius quasi stadium emensum, sensim extenuatum sit atque evanuerit. Hoc si probe feceris, quae fuerint epigrammatis genera ipsa historia edoctus cognosces, porro cur nata quaque ratione alia ex aliis profecta sint intelliges, singula denique quae habeant inter se communia perscrutatus, veram tibi animo finges notionem, qua epigrammati ne vel aliena inculcentur vel propria demantur, cautum erit Talem historiae

13) Simili ratione iam usus est J. C. Scaliger Poëtices l. III. c. CXXVI. p. 431 cum dicit: „recipit autem (epigramma) omne genus poëseos, *διαλογικὸν* sive *δραματικὸν*, et *διηγηματικὸν* et *μικτόν*.“

14) Cf. Historiae poësis gr. delineationem. t. II. p. 1054 sqq.

scribendae imaginem iam illustrissimo Jacobsio obversatam esse ex ipsius verbis apparet[15]), ubi, cum historiam criticam epigrammatis tertio commentariorum volumini sese adiecturum promisisset, (Tom. VI. p. XXIX. ed. Lips.), iam hoc consilium „ad commodiora tempora“ a se dilatum esse dicit. Quod utinam exsecutus esset vir optimus, pro mira eruditionis copia acrique pulchri sensu tanto tamque difficili operi unice par, utinam diuturnae operae in praestantissimis hisce antiquitatis reliquiis positae apicem quasi imposuisset! At quam rem infectam reliquerat, egregie tamen iuvit scripto catalogo illo poëtarum epigrammaticorum, qui adiectus est ad calcem voluminis XIII.; quo cum collegisset, quaecunque ipsi de poëtarum vitis et scriptis nota erant, utilissimum paravit historiam scripturo adminiculum.

Quot vero quantaeque difficultates restent, neminem fugit, qui vel primoribus labris haec attigerit. Infirma enim et saepenumero dubia est auctorum, qui in lemmatis feruntur, fides; sic, ut unius Simonidis exemplo utar, tria illa epigrammata in duplicem ad Eurymedontem fluvium victoriam a Cimone reportatam, licet in Palatino Simonidis nomen prae se ferant (Anth. Pal. VII. n. 258, 443), unum vel addito gentili (A. P. VII. 296 *Σιμωνίδου τοῦ Κηΐου*), nobilis illius poëtae lyrici esse non possunt, quia res ibi commemoratae defuncto dudum poëta gestae sunt, id quod iam viderat van Goëns (in dissertatione de Simonide Ceo p. 33), nuper persuasit O. Muellerus[16]). Fortasse sunt Ceii iunioris, cui etiam assignandum videtur ep. Anth. Pal. VII. 254 (cf. Jacobs. Tom. XIII. p. 954). Ex Ceiis neutri tribui possunt epigrammata n. 75. 83. 84. ed. Lips. Alia aliis de caussis Simonidis esse nequeunt. In multorum deinde epigrammatum lemmatis fluctuat Palatinus, sive duos auctores ferens veluti A. P. XIII. n. 28 ubi legitur *Βακχυλίδου οἱ δὲ Σιμωνίδου* (alteri vindicat Stephanus Byzant. v. *Ἀκαμάντιον*) A. P. VII. 647. *Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου* (Simonidis est); sive incerti auctoris esse tradens, a nonnullis tamen ad poëtae cuiusdam nomen relatum, veluti Anth. Pal. VII. 345 legitur *ἀδέσποτον οἱ δὲ Σιμωνίδου*, cuius auctor nec Simonides est neque ignotus, est enim Aeschrio Samius.

Quodsi tam parva est Codicis auctoritas in nobilissimo poëta cuiusque haud exiguus exstat epigrammatum numerus, quantam fidem lemmatis inesse putabis, quibus vel ignota nomina continentur, vel notis quidem poëtis pauca tantum epigrammata tribuuntur solo hoc codice servata.

Tum quod in aliis antiquitatis scriptoribus plurimum affert utilitatis, libris eorum diligenter perlectis et inter se et cum aliis eiusdem vel similis generis probe comparatis auctoris et dicendi genus et ingenium moresque cognovisse, ea opportunitas nobis in hoc poëmatum genere

15) Cf. Tom. XIII. p. IX. ed. Lips.
16) Cf. Schneidewin: Simonidis Cei Carminum Reliquiae p. 157.

saepenumero praerepta est. Quis enim ex paucis iisque brevioribus epigrammatis servatis auctoris indolem facultatemve poëticam adeo se perspectam habere putet, ut inde quae illi assignanda quaeve abiudicanda sint pronunciare audeat, praesertim cum tanta argumentorum diversitate tantam quoque orationis varietatem provocari necesse sit, ut eiusdem poëtae epigrammata inter se saepe sint dissimillima.

Accedit denique, quod, qua aetate vel optimi Anthologiae poëtae vixerint, nondum satis exploratum est. Aetatem vero poëtarum accurate cognovisse quanti sit ad iudicium de epigrammatis alicuius auctore recte faciendum, uno liceat exemplo demonstrare. Exstat in Anthologia (VII. 43.) sat elegans epigramma in Euripidis mortem, quod et in Cod. Palatino et in Planudea Ioni tribuitur; nihil in epigrammate est, quod hoc nomine indignum censeas, immo verisimile videtur, Ionem tragicum tragici natu maioris memoriam carmine celebrasse; attamen tragici certe illius esse non potest; accuratius enim qui in Ionis aetatem inquisivit Bentlejus[17], eum iam ante Euripidem obiisse docuit. Aliquantum quidem praesidii huic quaestioni comparatum est cum quod Meleager et Philippus poëtarum, quos in coronam receperant, nomina tantum non omnia in prooemiis recensuerunt, tum quod Constantinus Cephalas in veterum anthologiis compilandis ita versatus est[18], ut haud pauca saepe epigrammata ex eadem corona petita una deinceps serie poneret, etiam ordine elementari, quo ea a Meleagro condita fuisse scimus[19], compluribus in locis observato. Haec veterum Anthologiarum vestigia qui indagavit et indicavit Passovius[20], multum sane contulit ad nonnullorum poëtarum, cognominum praecipue, aetatem rectius constituendam. Attamen tantum abest, ut iam omnia circa poëtarum aetates perspecta sint atque explorata, ut saepissime vel de saeculo, quo quis vixerit, ambigamus.

Iam ex his, quae de rei difficultatibus breviter monuimus, epigrammatis historiam scripturo non in eo omnem operam ponendam consumendamque esse intelligatur volumus, ut singula epigrammata suis auctoribus tribuantur, vel ut omnium, si dis placet, poëtarum aetates indagentur atque eruantur, quod nec fieri potest nec omnino est necessarium, sed eam potius rationem ineundam esse, quam supra indicavimus, ut epigrammatis origine enucleata quae eius fuerint genera et quo quodque tempore quibusque auctoribus elaborari et florere coeperit demonstretur. Tali historiae adumbratione non solum epigrammatis indolem egregie illustrari, sed unicam muniri viam, qua ad iustam notionis definitionem perveniri possit, si cui harum

17) In Epist. ad Mill. p. 50 cf. Jacobs XIII. p. 905.
18) Cf. Jacobs vol. VI. p. LXXVII.
19) Jacobs l. l. p. XLII.
20) In quaestione supra laudata.

literarum peritiori probaverimus et, ut epigrammatis historia tandem scribatur, auctores fuerimus, operae pretium fecisse nobis videbimur. Ipsi pro loci viriumque ratione particulam tantum totius operis elegimus, in epigrammatis originem inquisituri quaeque prima eius, ut ita dicamus, aetate nata cultaque sint genera demonstraturi. Quae enim in singulorum hominum vita aetates conspiciuntur virium crescentium, vigentium, labentium, eaedem fere in artium cultu deprehendi solent. Tres igitur epigrammaticae poësis aetates statuimus, quarum primam ab Archilocho ad Aristotelem usque deducimus, alteram ad imperii Romani eorumque poëtarum tempora, qui in Philippi Thessalonicensis corona recensentur, tertiam usque ad graeci nominis interitum pertinuisse putamus. Aristotelem vero cur in primae aetatis exitu poneremus, ea fuit caussa, quod ex eius inde tempore, reliquis poësis generibus fere exstinctis, cum ad ampliora pangenda ingenii vires non iam suppeterent, breviora haec poëmata singulari studio coli et ad summam in argumentis varietatem artisque praestantiam provehi coepta sunt. Ab hac ubertate cum post Philippum illum epigramma deflexisset, non tamen ad pristinam simplicitatem rediit, sed variis veluti gradibus delapsum simul cum literis graecis deletum est.

CAP. III.

Iam voce *ἐπίγραμμα* quid significetur, promptum apertumque est. Quodcumque enim in aliqua materia vel incisum est vel insculptum hoc nomine contineri verbi *γράφειν* usu et vi edocemur.[21]) Ex quo vero literae inventae et frequentari coeptae sunt, ipsas literas vel voces marmori aerive incisas *ἐπίγραμμα* vocatas esse, cum veri est simillimum, tum Herodoti testimonio confirmatur (cf. l. V. c. 59. VII. c. 228).[22]) Nec satis antiquus modo fuerit necesse est, sed ipsis cum literis natus mos in qualibet materia voces versusve inscribendi. Etsi enim Boeckhius (Corp. Inscriptt. t. I. p. 63.) iure dicat fictas esse, quaecunque heroicae aetatis perhibentur inscriptiones, ut Amphitryonis, Scaei, Laodamantis in tripodibus in Apollinis Ismenii templo asservatis, quas Herodotus se vidisse testatur (l. V. c. 59.), ut Thesei in columna Isthmiaca (Plut. Thes. c. 25 cf. Welcker l. l. n. 215.) ut thalami Alcmenae, (Paus. IX. 11.) aliae; etsi ex aetate ante Olympiadum initium, ex quo Olympici victores inscribi

---

21) De hac voce v. F. A. Wolf. Proll. p. XLV. sqq. p. LXXXI. sqq., Boeckh. Corp. Inscriptt. p. 9., Welcker. sylloge ep. p. 161 sqq.

22) Cf. etiam marmoris Romae in lucem protracti inscriptionem, qua defunctus praetereuntem ad epigramma suum legendum invitat cf. Jacobs Append. n. 236 et propter disticha ibi servata Welcker. syll. n. 59. 60 p. 89. sqq.

coepti sunt, haud multorum supersit titulorum memoria; literarum tamen usus, quem ad seriora tempora Wolfius detulisse videtur,[23]) quin diu ante Olympiadas instauratas in hoc certe scriptionis genere increbuerit, noli dubitare. Ubi enim cognitae erant literae, ad quam rem prius eas adhibitas esse putemus, nisi ad nomina vel breviores sententias in lapidibus, aedificiis, donariis inscribendas? Immo ipsis inscriptionibus literarum usum propagatum scribendique artem excultam esse, ut libros iam scribere conarentur, omnino consentaneum est.[24]) Quae inscriptiones ut non diu soluta oratione humi serperent, sed ad carminis et suavitatem et dignitatem mature adspirarent, cum quae ipsis rebus, quibus addi solebant, inerat ad poësim provocandam vis et facultas, tum linguae graecae praestantia effecit, cui numerum quendam insitum innatumque esse neminem fugit. Hunc cum versus heroici legibus adstrinxisset poëtarum epicorum sollertia quumque sollenni carminum suorum recitatione popularium animos auresque metri sensu imbuissent, quid mirum, si perceptum sonum referentes ei etiam suam orationem accommodare studebant. Primum igitur metrum, quo inscriptiones condebantur, heroicum fuit,[25]) id quod vel ex illa Amphitryonis inscriptione intelligitur, quae, licet ficta fuerit, antiqui tamen moris speciem prae se tulerit necesse est, cum ipsi Herodoto fucum fecerit. Idem comprobant epigrammata, quae Homeri nomine feruntur, ad epicorum principem fortasse nulla alia de caussa relata, nisi quod metro heroico composita sunt. Quorum licet aliquot simpliciora sint meliorisque notae, plurima tamen, novem numero, a rhapsodis ex tempore fusa esse videntur,[26]) unum idque optimum Cleobuli Lindii esse veri est simillimum.[27])

Ubi vero primum hexametro sollers Ionum ingenium pentametrum iunxit, tanquam animi luctu commoti interpretem optimum, id numerorum genus inventum erat, quod, cum et iis rebus, quae inscriptionibus includi solebant, exprimendis egregie aptum esset, tanquam epigrammati proprium per omne deinceps tempus retentum et cultum est. Namque primo statim ab initio non metri tantum similitudine, sed rerum etiam et argumentorum ratione aequabili cum elegiaca poësi epigramma tam firmo vinculo coniunctum fuisse apparet, ut illius pro singulari genere habendum sit; quare ut prima epigrammatis indoles penitus pernoscatur, de elegiae origine pauca monenda videntur.

---

23) Cf. Kruse: Hellas I. p. 13. Ulrici, hist. poës. gr. I. p. 227.

24) Cf. Osann: Symbola ad hist. litt. graecc. et romm. I. p. 20.

25) Cf. Platon. de legg. 12. p. 958 E.

26) Cf. Bode: hist. poës. gr. I. p. 409. Ulrici l. l. I. p. 393. II. p. 297.

27) Exstat in Anth. Pal. VII. 153, ubi lemma fluctuat inter Homerum et Cleobulum Lindium; huic tribuit Diog. Laert. I. 6. 2. eumque propterea a Simonide acriter reprehensum fuisse dicit cf. Schneidewin. Simonidis rell. p. 12 sqq.

Vocem ἔλεγος, utut de eius origine sententiae discrepant[28]), luctum significare et querelam usurpatamque esse de cantu lugubri, quo dilectorum capitum iactura deploratur, consentienti veterum grammaticorum testimonio constat[29]); quapropter a talibus cantibus elegiacam Graecorum poësim ortam ipsamque ab initio lugubrem fuisse diu creditum est. Hanc opinion primus labefactavit Franckius[30]), qui cum elegiarum nobis servatarum reliquiis prorsus alia esse argumenta cognovisset, elegiam initio lugubrem fuisse negavit, immo ἐλέγου nomen inferiore demum aetate usitatum et ad Simonidis potius Atticorumque elegias referendum esse contendit. At longe vetustius est illud nomen; Cleonas enim Arcas seu Thebanus, qui circa Ol. XX. vixit, Plutarcho teste (de musica p. 1132. C. D.), nomis illis vetustis, qui ad tibiam canebantur, nomina indidit eorumque aliquot ἐλέγους appellavit; Ol. XLVIII. 3. Echembrotus Arcas[31]) victoriam pythicam reportasse traditur:

Ἕλλησιν δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους.

Accedit quod his ipsis locis docemur, elegorum nomen pressis et flebilibus tibiae modis adhaesisse, unde colligere licet, etiam carminum, quae ad illos modos canebantur, triste fuisse et lugubre argumentum; nam de assis tibiis nos cogitare vetat et constans antiquioris aetatis mos et Pausaniae narratio. Quod etsi carmina eaque lugubria elegorum nomine contineri sciamus, quibus illa numeris adstricta fuerint, nondum nobis exploratum est. Hac in quaestione egregie adiuvamur duorum vocabulorum usu et vi, quae, licet inferiore demum aetate usurpari coepta sint, cum a vetustiore voce ἔλεγος manifesto derivata sint,[32]) illius significationem optime illustrant. Cum enim ἐλεγεῖον sc. μέτρον id numerorum genus indicet, quo hexametrum excipit pentameter, et ἐλεγεία sc. ποίησις, nulla argumenti ratione habita, carmen sit distichis inclusum, cumque cogitari nequeat, qui factum sit, ut a voce ἔλεγος derivarentur, si iis nulla fuisset cum illa sensus similitudo, omnia expedita et confecta esse videntur, cum ἔλεγος carmen fuisse dicimus lugubre, distichis conditum idemque fere sonans atque ἐλεγεία, quae vox paullatim in prioris locum successerit. At haec an ita se habeant, magnam nobis iniicit dubitationem, quod in servatis veterum poëtarum elegiis nullum iam cantuum lugubrium vestigium deprehenditur; quapropter Ulricius (l. l. II. p. 177 sqq.) eam iniit rationem, ut vocem ἔλεγος ad artem musicam pertinere nec magis carmina, quam vetustos illos nomos auleticos

28) Cf. Bode. l. l. II. 1. p. 120 sqq.
29) Locos veterum scriptorum congessit Ulrici l. l. p. 176 ann. 126.
30) Callinus sive quaestionis de origine carm. elegiaci tractatio crit. 1816.
31) Pausan. X. 7. 4 et 6 ed. Becker.
32) Cf. Ulrici l. l. p. 183. ann. 149.

significare diceret; assentiuntur ex parte Muellerus et Bernhardius. In nomorum igitur ratione exponenda disputationis summam positam videmus; quorum si eam fuisse animo fingamus, ut assis tibiis canerentur, sublato omni carminum indolis investigandae adminiculo, coniecturae finis imponendus est; sin vero, quae est ipsius Ulricii sententia veterum testimoniis firmata, nomis illis modos constitutos fuisse putamus, ad quos carmina canerentur, horum metrum, quale fuerit, indagandum est. Hoc quominus a versu heroico longius recessisse putemus, cum id obstat, quod tantum non in omni poësis genere, prisca aetate culto, illum regnasse scimus, tum quod vocis ἐλεγεῖον aliqua saltem ratio habenda est. Si igitur hexametro pentametrum adiunctum fuisse negas, aut alius versus illum exceperit, aut solis pentametris carmen conditum fuerit necesse est, quorum alterutrum aeque improbamus. Namque illud quod attinet, si alterius versus numerum prorsus diversum fuisse fingis, utriusque concentus tollitur; quare eundem cum hexametro numerum habuerit necesse est, licet inconditus initio fuerit et gradatim tantum ad pentametri virtutem excultus sit.[33]) Solis deinde pentametris ut carmen aliquod illis praesertim temporibus conditum esse Ulricio credamus (p. 185.), haud facile adducemur; etsi enim nonnunquam ἐλεγεῖον nominetur solus pentameter (propterea fortasse, quod metri elegiaci est pars potior), etsi breviores sententiae uno pentametro inclusae ferantur[34]): integra tamen carmina hoc versu non sunt condita[35]), quippe qui ad perpetuam repetitionem non magis aptus videatur, quam paroemiacus et quotquot praeterea in stropharum[36]) clausula poni solent. Ex his intelligitur, nihil obstare, quominus carmina, quae ad illos nomos auleticos canerentur, metro elegiaco composita fuisse contendamus. — Nec magis audiendus est Bernhardius (l. l. II. p. 307 sqq.) qui, quanquam ipse elegiam a flebilibus tibiae modis (ἐλέγοις) ortam esse dicit, lugubrem tamen eam initio fuisse propterea negat, quod nec tibicinium initio in funeribus adhibitum esse constet, nec carmina restent, ex quibus qualis fuerit elegiae lugubris indoles pernoscatur. Nam ut ficta sint, quae de Mida rege feruntur, quem Suidas (v. ἔλεγος) in matris funere tibiis cecinisse dicit; quae de Olympo traduntur, qui ad tibiarum sonum Pythonis mortem ab Apolline sagittis caesi deflevisse perhibetur (Plut. de

---

33) Neque in Callini et Archilochi pentametris ea iam conspicitur verborum et sententiarum concinnitas, quam postea observari videmus; sic virgula post primum pentametri pedem saepius posita sententiarum ordo immutatur.

34) Cf. Boeckh. C. Inscr. I. n. 12. p. 32. sqq.

35) Nullius enim momenti sunt inferiorum poëtarum lusus, veluti Philippi Thessalonicensis Anth. Pal. XIII. 1. cf. Append. n. 140.

36) Cf. Boeckh. de metr. Pind. p. 272: „Prima autem et minima mutatio ita instituta est, ut hexametro dactylico heroico epodus apponeretur ex duplicato trimetro catalectico in syllabam; unde nata prima stropha, distichum elegiacum cantatum ad tibias.“

mus. 1136 ex Aristoxeni *περὶ μουσικῆς* libro I.); quae de Marsya (Diod. Sic. III. c. 59. Paus. l. X. c. 30.) aliis produntur: ad veterem tamen tibiarum in funeribus usum eos, qui haec finxerunt, respexisse eiusque originem suo modo explicare voluisse manifestum est; ut barbari sint, de quibus haec referuntur, a Lydis tamen et Phrygibus tibiae usum Graecis traditum esse constat. Tum quotquot in re musica instrumentis Graeci usi fuisse traduntur, eorum nullum est tibia aptius ad lugentium fletus referendos et regendos; quare ex quo cognita est[37]), in funeribus eam ex more inventorum adhibitam esse veri est simillimum. Grammatici denique, ubi de carminibus lugubribus ad tibiam cantatis mentionem faciunt, non ita sunt interpretandi, quasi de sua aetate vel paullo antiquiore loquantur, sed eos rem in universum exponere, vel antiquissimis temporibus non exclusis, exemplo sit Didymus ap. schol. Arist. Av. 217, cuius haec sunt verba: *τοῖς σοῖς ἐλέγοις. ἀντὶ τοῦ τοῖς θρήνοις. — Δίδυμος δέ φησιν ὅτι οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι· τὸν γὰρ αὐλὸν πένθιμον ὑπειλῆφθαι.* Vox enim *θρῆνος* iam in Homeri carminibus invenitur cantumque significat lugubrem, qualem in Hectoris funere Andromache, Hecuba, Helena, (Il. XXIV. 720 — 777.), in Achillis Thetis cum omnibus novem Musis alternis vocibus canunt (Od. XXIV. 60 sqq.). Cum vero *θρῆνον* idem sonare atque *ἔλεγον*, non unus affirmet Didymus, sed Eustathius, Proclus, alii multi[38]), *ἔλεγος* autem tibiarum modum significet, tibias in funeribus adhibitas esse nos convicisse putamus, quippe cum omnia optime conspirent, et inventorum mos, et instrumenti virtus, et grammaticorum testimonia. Nec inferiore demum aetate natum, sed perantiquum fuisse tibiis in funeribus canendi morem, Clonae, quem supra commemoravimus, aetate efficitur; qui cum circa Ol. XX. nomis auleticis nomina indidisse tradatur, ipsi hi nomi, quorum e numero elegos fuisse scimus, vel ante Olympiadas instauratas inventi et culti fuerint necesse est. Cum deinde ex Homeri versibus cognoverimus, in threnis cantata esse verba numero quodam adstricta i. e. carmina, etiam ad modos illos auleticos, elegi qui vocantur, carmina cantata esse certum videtur. Cum denique horum carminum haud facile alium fuisse numerum nisi elegiacum supra demonstrare conati simus, et fuisse *elegiam lugubrem* et fuisse *antiquissimam* pronuntiare audemus. Cuius si certae adhuc exstarent reliquiae, longa disputatione supersedere potuissemus; at si quis propterea, quod vestigia certa temporum iniquitate obliterata sunt, rem omnino fuisse neget, is ne non minus erret veremur, quam qui infirmioribus fortasse fundamentis aedificium superstruxerit.

---

37) Ab Homero tibia non commemoratur, nisi in rerum Troianarum descriptione, propterea, ut videtur, quod heroica illa, quam describit, aetate Graecis nondum cognita erat.

38) Locos indicavit Bodius l. l. II. 1. p. 124. ann. 1 et 2.

Inter Archilochi tamen reliquias nonnulla sunt elegiae fragmenta, quam lugubrem fuisse suspiceris. Deplorat enim poëta miseriam civium quorundam suorum naufragio absumptorum, in quibus maritum sororis ipsius fuisse testatur Plutarchus (Morall. II. 23, B.), sed ita deplorat, ut, quem alloquitur, ad tranquillitatem animi et hilaritatem revocare nititur[39]).

Ad hunc tamen exitum quod poëta orationem deflexit, si quis propterea lugubris elegiae fragmenta esse neget (negavit Bernhardius l. l. p. 316) et ad alterum, de quo mox dicemus, elegiae genus referri iubeat, non acriter obloquemur. Firmiora enim sententiae nostrae argumenta ex iis repeti possunt, quae de Pythiis et de Echembroti Arcadis victoria Pausanias narrat[40]). Quae cum nondum satis perpensa esse videantur, locum apponere liceat (l. X. c. 7. § 4 ed. I. Becker): *Τῆς δὲ τεσσαρακοστῆς ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης, ἣν Γλαυκίας ὁ Κροτωνιάτης ἐνίκησε, ταύτης ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες κιθαρῳδίας μὲν, καθὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς, προςέθεσαν δὲ καὶ αὐλῳδίας ἀγώνισμα καὶ αὐλῶν· ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες Κεφαλλήν τε ὃς λάμποι (?) κιθαρῳδίᾳ, καὶ αὐλῳδὸς Ἀρκὰς Ἐχέμβροτος, Σακάδας δὲ Ἀργεῖος ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς· ἀνείλετο δὲ ὁ Σακάδας οὗτος καὶ ἄλλας δύο τὰς ἐφεξῆς ταύτης ὀλυμπιάδας, ... § 5. δευτέρᾳ δὲ πυθιάδι .... καὶ αὐλῳδίαν τε κατέλυσαν, καταγνόντες οὐκ εἶναι τὸ ἄκουσμα εὔφημον· ἡ γὰρ αὐλῳδία μελέτη* (*μέλη* probabiliter coni. Bernh. l. l. p. 315) *τε ἦν αὐλῶν τὰ σκυθρωπότατα καὶ ἐλεγεῖα καὶ θρῆνοι προςᾳδόμενα τοῖς αὐλοῖς.* § 6. *μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τοῦ Ἐχεμβρότου τὸ ἀνάθημα, τρίπους χαλκοῦς ἀνατεθεὶς τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐν Θήβαις· ἐπίγραμμα δὲ ὁ τρίπους εἶχεν·*

Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε τῷ Ἡρακλεῖ[41])
νικήσας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις,
Ἕλλησιν δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους.

κατὰ τοῦτο μὲν τῆς αὐλῳδίας ἐπαύθη τὸ ἀγώνισμα. κτλ.

Ex hoc loco primum discimus discrimen fuisse inter *αὐλῳδίαν* i. e. carmina tibiis modulata et *αὐλοὺς* i. e. tibiarum assarum modos, et illam quidem e certaminibus sublatam esse, quippe cum festiva ludorum celebratione pugnantem, his locum relictum, quippe enim duobus deinceps Pythiis Sacadas ille vicit. Deinde *αὐλῳδίας* nomine non quaevis carmina contineri videmus ad tibias cantata, sed lugubria tantum (*θρήνους*), numero elegiaco adstricta (*ἐλεγεῖα*),

39) Cf. Schneidewin delectus poëtt. gr. p. 174 sqq. n. 8 — 11.

40) Haec a Pausania non aliunde quam ex Pythonicarum catalogis ducta esse, Boeckhii est sententia ad Pind. II. 2. p. 206 sqq. cf. Clinton Fast. Hell. p. 214 ed. Krueger.

41) Priora verba quod *ἄμετρα* sunt, inscriptionis fidem labefactare tentaverunt Boettiger (Mus. Att. I. 2. p. 340) et Francke (Callin. p. 123); frustra, similium enim inscriptionum haud rara inveniri exempla docuerunt Boeckh. C. I. n. 16 p. 35, Welcker syll. p. 191 sqq.

quae in Echembroti epigrammate ἔλεγοι vocantur. Namque ne quis Echembrotum, cum lugubria carmina tristibus modis (μέλεα enim modi sunt cf. Paus. IX, 12. 5) caneret, suo magis ingenio indulsisse, quam artis, quam profitebatur, i. e. αὐλῳδίας leges secutum fuisse putet, haec res obstat, quod ipse quidem victoriam reportavit, musicorum vero illud genus a certaminibus exclusum est. Accedit denique quod Pausaniae, auctoris in hac quidem re haud spernendi (v. supra ann. 40.), testimonio non solum exstitisse elegiam lugubrem ad tibias cantatam certo scimus, sed certum etiam temporis indicium allatum est. Victoria enim ab Echembroto Ol. 48 a. 3 reportata in Solonis aetatem incidit, Atheniensium legum latoris eiusdemque celeberrimi in altero elegiae genere poëtae. Cum vero iam ante Solonem idem genus a clarissimis poëtis, Callino, Archilocho, Tyrtaeo cultum nobilitatumque esse constet, ab hoc elegiam lugubrem ortam et sive ab ipso Echembroto sive ab alio quodam aetate superiori ad lugentium maerores imitandos eadem fere ratione traductam et conversam esse facile suspiceris, qua Mimnermum elegiam a rebus publicis virtutisque bellicae laude ad suas ipsius res avocasse et suavissimis modis molles amoris querelas fudisse scimus[42]). At si reputamus, αὐλῳδίας cum praemia proponerentur ab Amphictyonibus, tunc temporis ea iam satis cognita et tanquam singulare aliquod musicae poësisque genus per longius temporis spatium culta fuerit necesse esse, ut ex illa Callini elegia oriretur, fieri non potuisse temporum ratione habita intelligimus. Pausaniae igitur testimonio elegiam lugubrem alteri aetate supparem fere habendam esse efficitur. At antiquiorem fuisse et totius generis elegiaci originem cum veteres Grammatici conclament, quibus, ubi res ipsa non repugnat, fides non est deneganda, cumque, qui factum sit, ut a rerum publicarum tractatione elegia ad funera luctusque traduceretur, difficillimum sit explicare, contrariam vero rationem nos infra probaturos esse speremus, etiam ex hac parte nostram de elegiae origine sententiam munitam firmatamque esse putamus.

Iam ad propositum, unde deflexit, ut revertatur oratio, ab eodem luctu de capitum dilectorum iactura, qui elegiis ad flebiles tibiae modos effundi solebat, ab eadem erga mortuos pietate, qua defunctorum virtus laudibus efferebatur, etiam *epigrammatis* originem repetendam esse dicimus. Antiquissimus enim mos fuit apud Graecos, quippe acri humanitatis sensu imbutos, ut mortuorum corpora sollenni funere elata non terra modo conderent, sed locum etiam signo aliquo notare studerent; apud Homerum vox σῆμα iam tumulum designat (Il. VII. 89), ab eodem cippi sepulcrales commemorantur (Il. XI. 371 sqq. XVII. 434). In talibus monumentis cum, ex quo literae frequentari coeptae sunt, defuncti nomen et genus cum brevi nonnunquam vel laudis vel desiderii significatione inscribi solerent, natum est epi-

42) Unde factum videtur, ut pentametrum invenisse dicatur ab Hermesianacte v. 35; Schneidewin in delectu poëtt. graecc. p. 151.

gramma *sepulcrale*[43]), quod, cum easdem res, quae in elegia fusius exponi ornarique solebant, paucis saepe verbis indicatas complecteretur, iisdem, quibus illa, numeris inclusum est, quibus aut elegantiores aut ad rerum sensuumque interpretationem aptiores vix queant inveniri[44]. Et in hoc quidem poësis genere, cuius in summa brevitate et simplicitate haud exigua conspicitur ars, nonnulla vel antiquiorum poëtarum carmina nobis servata esse eo magis laetamur, quod inde, qualis fuerit lugubris elegiae, temporum iniuria obliteratae, indoles, aliqua saltem ex parte cognosci potest. Cuius ut omnia vestigia restinguerentur, quomodo fieri potuerit, noli mirari. Nam et antiquioribus temporibus, cum literarum usus nondum frequens esset, et in privatorum hominum honores cum carmina illa condita essent, nec scriptione multiplicata, nec repetita recitatione publica evulgata, sed oblivione obruta sunt, quae etiam Tyrtaei Theognidisque elegias ex hominum memoria delevisset, nisi propter argumentorum rationem et in conviviis cantari et in scholis a pueris edisci solitae essent. Quin ipsius Simonidis, qui elegiam lugubrem apud Atticos instaurasse videtur quique ex certamine cum Aeschylo victor discessit, (Vita Aeschyli p. XIV. Dind.), palmaris illa in eos Athenienses elegia, qui in pugna Marathonia occubuerant, ad aetatem nostram non pervenit, reliquarum pauca feruntur fragmenta. Unde quod ex prisca illa aetate, ad quam elegiae lugubris origo referenda est, nec reliquiae nec certa poëtarum nomina exstant, ut lugubrem elegiam omnino exstitisse negemus, iustam caussam non esse intelligetur.

CAP. IV.

Alterum, quod diximus, elegiae genus e clarissimorum poëtarum, Callini, Archilochi, Tyrtaei, aliorum reliquiis satis cognitum habemus. Cuius indoles cum ab antiquioris plane discrepare videatur, ut demonstrare conemur restat, quomodo fieri potuerit, ut elegia a luctu funebri ad res publicas vitaeque usum converteretur. In illis reliquiis permulta inveniri, quae ad convivia spectent, quibusque opinio excitetur, in conviviis elegias quarum reliquiae servatae sunt, cantatas esse, recte observavit Osannus[45]), in eo autem erravit, quod, in quibus-

---

43) Nullo modo probari potest Osanni sententia, qui elegiam ab epigrammate ortam esse putat; quae cum iam a Welckero in censura libri supra laudati Museo Rhen. a. 1836 p. 424 — 451 inserta bene refutata sit, indicare eam satis est.

44) Egregie enim Didymus pentametrum cum amico comparat, qui cum moribundo contabescat simulque exspiret. Cf. Etym. Gud. v. *ἔλεγος*. Etym. M. v. *ἐλεγεία*.

45) L. l. p. 30 — 78.

cunque fragmentis vel levia conviviorum vestigia detexerat, ea ad singulare aliquod elegiae genus referenda esse putavit, quod symposiacum sive conviviale nominavit. Tale enim elegiae genus nunquam exstitit[46], immo omnes elegias eo consilio compositas fuisse Muellerus[47]) docuit, ut in conviviis maximeque in extrema eorum parte, qui κῶμος vocabatur, ad tibiae modos canerentur. At quae huic elegiarum generi cum funebribus illis cantibus est communitas? Audio. Exsequias peractas sequebantur epulae (περίδειπνον)[48]), quas inibant parentes, et in his vel elegias, quae in ipso funere cantatae erant, iteratas, vel alias quasdam recitatas esse veri est simillimam[49]). Cum tamen vel locus postulare videretur, ut a maerore ad animi tranquillitatem aliquo modo revocarentur qui aderant, et consolationes additas esse et ad hilaritatem animi recuperandam cohortationes ex Archilochi elegia, de qua supra sermo fuit (p. 12), cognoscitur. Ex hoc more factum videtur, ut, ubi iam luctus non esset, gravi tamen cum premerentur calamitate, vel impendentis metu cruciarentur, mollibus elegiae numeris conquererentur poëtae et doloris acerbitatem minuere studerent. Sic Callinus, cum grave patriae immineret periculum funesta civium socordia auctum, civitatis conditionem conquestus, ut ignavia tandem abiecta hostes, quos Cimmerios fuisse statuunt, acriter propulsarent, fervidiori oratione iuvenes cohortatus est[50]); sic a Tyrtaeo Lacedaemonios, cum animis cecidissent, ad pristinam virtutem accensos esse constat. Quomodo vero factum sit, ut elegia, cum semel angusta, quibus luctus significatione circumscripta tenebatur, claustra perrupisset, in omnes cum publicae tam privatae vitae res sese quasi effunderet, non est quod pluribus verbis dicamus.

Ad hanc elegiae rationem accommodatum est proximeque accessit *epigrammatis* id genus, quo in donariis inscripto vel dedicationis caussa exponi, vel dedicantium nomina contineri solebant. Nam neque res defuerant, quas religiosissima Graecorum gens eademque laudis cupidissima inscriptionibus ornari cuperet. Qui cum cunctas res humanas Deorum immortalium numine administrari, cura regi, consiliis certum ad exitum perduci sibi persuasissent, a Deorum invocatione, quodcunque acturi erant, ordiri, ad opem divinam omnes laetos rerum eventus grata mente referre consuerant. Quam ut facto demonstrarent, non solum agrorum, gregum, venationis primitias Diis offerebant, sed, in quibus vel maxime praesens Deorum auxilium experti erant, bellis feliciter gestis, praedae partem praestantissimam Diis reponebant, armaque hostibus detracta in templis delubrisque dedicabant, nec minus victoriae in publicis certa-

46) Cf. etiam Weickeri censuram l. l. p. 437 sqq.
47) Histor. litt. graecc. I. p. 189.
48) Plura v. ap. Beckerum in Charicle p. 196. sqq.
49) Cf. Muell. ibid. p. 201.
50) Cf. Schneidewin in del. poëtt. gr. I. p. 1 sqq.

minibus reportatae praemia, tripodas, lebetas, alia Diis, certaminum praesidibus, consecrabant. Eadem denique pietate usi, si quem successum in vita Deorum ope sibi contigisse gauderent, si quo periculo erepti, si morbo liberati essent, quaelibet suppeterent res, Diis sacratas grati animi testes esse volebant. Quibus cum etiam suam patriaeque gloriam ad posteros propagari vellent[51]), satis mature inscriptiones additae sunt, quae dedicantium nomina traderent et caussas breviter enarrarent.

Duobus his epigrammatis generibus contenta fuit priscorum temporum simplicitas, quae quam apte conveniant cum primitivis elegiae generibus, quippe ab iis orta, demonstrasse nobis videmur.

Quare non accedimus ad eorum sententiam, qui epigramma statim ab initio satiricum fuisse contendunt; in horum numero imprimis est Ulricius, qui a Meleagro Archilochiorum epigrammatum (?) copiam cum oceano dicit comparari, unde exiguas tantum guttas hauserit. Cum his Meleagri versibus quam maxime niti videatur Ulricii iudicium, apponantur liceat (Anth. Pal. IV. 1 v. 37 — 38):

ἐν δὲ καὶ ἐκ φορβῆς σκολιότριχος ἄνθος ἀκάνθης
Ἀρχιλόχου, μικρὰς στράγγας ἀπ᾽ ὠκεανοῦ.

Primo versu non tam carminum, quae Meleager in coronam suam receperat i. e. epigrammatum ratio, quam universe poëtae indoles describitur; quotiescunque enim in veterum scriptis[52]) acerbitatis Archilochiae mentio fit, semper ea ad iambos refertur, ad epigrammata nusquam; nec Meleagri verba in hac poëtarum cum floribus comparatione adeo sunt premenda, ut similitudinem vel in singulis rebus observatam fuisse putemus, quam si quis ubique rimari et perlustrare velit, eum, multa opera insumpta, vix tamen quidquam praeter argutias prolaturum esse recte iudicat Jacobsius[53]). Deinde parum veri simile est, Archilochum, in aliis poësis generibus fecundissimum, etiam epigrammatum tantam conscripsisse copiam, quam Meleager, licet modum excessisse putetur, cum oceano comparare potuerit; quare, cum neque usquam alibi eius rei mentio moveatur, oceani nomine non epigrammata singillatim, sed generatim universa Archilochi carmina usurpari atque appellari existimamus, unde paucas, vel si Jacobsio assentiris, qui magis ad genus carminum (i. e. ad epigrammatum brevitatem), quam ad numerum respici putat (l. l. p. 11) *exiguas* guttas[54]) Meleager deprompserit. Quis denique sibi persuadeat, Archilochum, iamborum inventorem clarissimum, etiam in alio poësis

51) Duplex hoc consilium ingenue proditur Anacreontis epigrammate IX. Anth. Pal. VI. 142.
52) Locos indicavit Bodius l. l. II. 1 p. 301 sqq. quibus adde Hor. Ep. I. 19 v. 22 sqq. II. 3 v. 79.
53) Tom. VI. p. 3 ed. Lips.
54) In voce *στράγγας* interpretanda mirum quantum argutatus est Salmasius cf. Jac. l. l. p. 10.

genere virus acerbitatis evomuisse et tot epigrammata condidisse satirica, ut ipsum epigramma, a nativa deflexum, satiricam exinde indueret indolem? Etiamsi enim satiricum Archilochi distichum exstet ap. Athen. l. XIII. p. 594 B., quod fugisse videtur Ulricium, hoc tamen vel „autoschedissma est poëtae Pasiphilam sugillantis“ (Schneidewini verba sunt in del. p. 176), vel elegiae symposiacae fragmentum (quae Muelleri est sententia l. l. I. p. 200), epigramma certe non est, cum ne integrum quidem sit carmen. Archilochum igitur epigrammata satirica scripsisse negamus; quae sententia etiam alio argumento comprobari potest. Nam si id genus epigrammata composuisset poëta celeberrimus, ut iambis permulti postea ad irrisionem usi sunt, sic etiam epigrammatum satiricorum imitatores exstitissent et satiricum poësis epigrammaticae genus excoli coeptum esset; cuius rei nulla vestigia indagari possunt. Nam si omnia primae, quam statuimus, aetatis epigrammata perlustramus, duo tantum invenimus carmina, quae satirica esse videntur. Primum est Phocylidis in Lerios (Jac. Anth. Gr. I. n. X. p. 54 ex Strabon. X. p. 747 B.); at epigramma non est, sed sententia sive gnome, ut ex verbis: *καὶ τόδε Φωκυλίδου* intelligitur, quibus ab initio positis suas sibi sententias Phocylides vindicare studebat[55]. Alterum a Simonide in Timocreontem Rhodium, vivum, ut videtur[56], scriptum (Anth. Pal. VII. 348), sane est epigramma satiricum, hoc uno[57] tamen haud facile quisquam effici opinetur, ut ab initio satiricum fuerit epigramma; immo lepide tantum adversarium acerbissimum poëta lusit luculentoque specimine monstravit, quomodo vel ea epigrammatis forma, quae ab irrisione longissime abesse videretur, apta sententiarum conformatione ad acrem vellicationem adhiberi et converti posset. Quodsi vero neque Archilochum epigrammata satirica scripsisse constat, neque id genus epigrammata prima aetate exstiterunt, explodenda iam atque eiicienda est tota ista de nativa epigrammatis indole satirica sententia, cui hoc quoque adversatur, quod ne altera quidem aetate, quam Alexandrinorum appellaveris, multa eiusmodi epigrammata scripta esse videntur, longe plurima eorum poëtarum inveniuntur, qui in Philippi Thessalonicensis coronam recepti erant, ea scilicet aetate conditam, qua Romanorum satira quam maxime florebat.

Increbuit inter viros doctos consuetudo, ut de *sententiosis* epigrammatis loquantur. Quod si ita fit, ut de iis epigrammatis cogitent, in quibus rei alicui propositae sententia subiicitur

55) Imitatus est Demodocus Anth. Pal. XI. 235. 236.

56) Cf. Schneidewin Simon. Cei Rell. p. XVIII. Clinton Fast. Hellen. ad Ol. 72. 2. ed. Krueger.

57) Nam ep. Anth. Pal. V. 159 cum lemmate *Σιμωνίδου*, falso inter amatoria relatum, satiricum quidem est, Simonidis non est cf. Jac. t. VI. p. 241.

generalis, probamus, etiamsi antiquiorum poëtarum pauca huiusmodi epigrammata inveniantur[58]); sin vero illo nomine etiam ea carmina appellari posse putant, quibus sola sententia effertur, re, unde quasi apta pendeat, non addita, hoc in antiquioris saltem aetatis carmina cadere enixe negamus. Qua de re quid sentiamus, priusquam accuratius exponatur, de duabus rebus monendum est, quae, licet adeo manifestae sint, ut disputatione egere non videantur, multorum tamen errorum caussae fuerunt. *Primum* quotquot in Codice Palatino exstant poëmatis, ea neque omnia, nec propter ipsam hanc sedem pro epigrammatis habenda sunt. Exemplo sint Anacreontis, quae feruntur, carmina duo (Anth. Pal. XI. 47. 48) quae, cum nullo pacto inter epigrammata referri possint, iure omisit Bergkius[59]), retinenda et epigrammaticae poësi vindicanda censuit Vogelmannus[60]); nec magis pro epigrammate haberi possunt versus illi, qui Aeschylo tribuuntur in Anth. Pal. X. 110; sunt enim ex Aristophanis Ranis (v. 1427 sqq.) petiti, neque Aeschyli videntur esse, sed „ab ipso Aristophane ad exemplum dictionis Aeschyleae" compositi, ut ait B. Thierschius in Ran. ed. p. 273; idem statuendum est de Menandri et Diphili comicorum dictis (Anth. Pal. XI. 438. 439), quae excipiuntur Pittaci dicto, sapientis fortasse illius Mitylenaeorum tyranni (ibid. 440); idem de Cratetis Thebani *hymno* in Frugalitatem (Anth. Pal. X. 104); idem denique de permultis elegiarum fragmentis, quorum pars quidem suo iam generi reddita est[61]), pars falso adhuc epigrammatum nomine insignita fertur. *Deinde* aetatis, cui quodque epigramma assignatur, diligenter ratio habenda est. Ut enim in quavis arte quae postero tempore nata cultaque sunt genera a priorum simplicitate magis magisque recedere solent, sic etiam epigramma non iisdem semper, quibus initio continebatur, finibus circumscriptum mansit, sed in varia genera diffusum inferioris et infimae aetatis studiis vel adeo immutatum est, vix ut serorum e poëtarum lusibus, qualis eius fuerit origo et indoles, recognoscas. Unde sequitur, ut, quod carminum genus ex posterioris quidem aetatis usu epigrammati recte attribuitur, idem si ad tempora ab origine proxima relatum eodem nomine appellemus, in eum incidamus errorem, qui graeco vocabulo ἀναχρονισμός vocari solet; id quod ne acciderit veremur et Jacobsio, cum Aesopi carmen (Anth. Pal. X. 123) ad genus epigrammatum sententiosum, qualia multa essent in Theognidis elegis et in fragmentis Solonis,

58) Anacreontis ep. Anth. Pal. VII. 160 (similem sententiam v. ap. Soph. in Phil. v. 436 sqq. ed. Neue), Simonidis Anth. Pal. X. 105 (cf. Hor. Ep. II. 3. 63); contrarius sententiarum ordo est in Simonidis Anth. Pal. VII. 253 (suspectum videtur Schneidewino Simon. Cei Rell. p. 148.)

59) Anacreontis Carminum Rell. p. 273.

60) L. l. p. 417; a quo quot diversi generis poëmatia epigrammati admisceantur, sane mireris.

61) Velut elegiae Anacreontiae fragmentum ab Athenaeo (X. 463 A.) servatum, cf. Schneidew. del. p. 370, et Simonidis elegiarum funebrium sive elegorum fragmenta: in Timarchum Anth. Pal. VII. 513. 515, in Gorgonem VII. 647, in naufragum VII. 496, alia; cf. Schneidew. l. l. p. 403 sqq.

referendum esse diceret (Tom. XIII. p. 835 ed. Lips.), et Welckero, cum in Theognidis reliquiis eos versus secerneret, quibus epigrammata sententiosa contineri putabat (cf. Proll. p. XCV. sqq.). Namque epigrammata priscis temporibus nihil aliud erant, nisi quod nomine designatur, i. e. verba in cippis donariisve eo consilio inscripta, ut mortuorum vel dedicantium nomen, genus, patria indicarentur. Quae indoles, ex quo apta sententiarum conformatione verborumque numeris ad strictorum delectu ad eum perfectionis gradum excoli ac perpoliri coepta sunt, ut ipsis iam epigrammatis inesset, quo legentium animi allicerentur et devincirentur, paullo quidem immutata, minime tamen sublata est; immo quo aptius quodque epigramma et ad rem, cui additum erat, interpretandam et ad poëtae mentem simul significandam effictum erat, eo maiorem tulit laudem. Permulta priscae aetatis epigrammata, quae in Codice Palatino leguntur, re vera in cippis vel donariis inscripta fuisse veterum scriptorum testimoniis comprobatur[62]); omnia ita comparata videmus, ut, etiamsi ea inscripta fuisse non constet, ad quemnam rem inscriptione ornandam composita fuerint, primo obtutu intelligamus. At ubinam inscripta fuisse vel inscribi potuisse fingamus sententiosa ista epigrammata, qualia sunt Aesopi (Anth. Pal. X. 123), Mimnermi (A. P. IX. 50), Phocylidis (A. P. X. 117), Welckeri Theognidea, alia? Quibus cum sola aliqua sententia generalis inclusa sit, re, unde pendeat, non addita, cum priscae aetatis more pugnant ideoque epigrammata appellari non possunt, sed pro elegiarum fragmentis habenda sunt, ad quod poësis genus ut ea referamus, etiam auctorum nominibus movemur, quippe celebrium poëtarum elegiacorum. Postero quidem tempore, cum elegia florere desiisset, in eius locum epigramma ex parte successisse multaque eiusmodi epigrammata condita esse constat, sententiosa quae recte appellentur; ad priora tempora ea non referenda esse demonstrasse nobis videmur.

Amatorii denique generis pauca tantum exstant epigrammata, Platoni tributa; quae cum philosophi celeberrimi esse veri dissimillimum sit, hoc loco praetermittimus.

Postquam antiquiorum poëtarum epigrammata, quae in Codice Palatino et alibi servata sunt, perlustravimus, duo tantum genera, sepulcrale et dedicatorium, primae aetatis studiis culta esse sine dubitatione affirmari potest. Etiamsi enim servatis multo plura epigrammata temporum iniuria oppressa sint, diversorum tamen generum ea fuisse parum probabile est, cum quod, quo quaeque ars ab origine propius abest, eo simplicior esse solet eoque pauciori-

---

62) Velut ex Simonideis ep. Anth. Pal. App. 167. VII. 248, 249, 677. App. 89. VII., 250, 347. App. 74. VII. 77. VI. 343. 215. App. 293. 73. 168. VI. 214. 197. App. 79. XIII. 14. App. 85, 75. IX. 700. Memorabile est Simonidis epigr. de ipso marmore a Fourmonto descriptum ap. Boeckh. Corp. J. I. p. 556 n. 1051 et Speusippi in Platonem ex Bar-Hebraei chronico ab Osanno emendatum (l. l. p. 307 sqq.)

bus argumentis et rationibus contenta, tum quod, iis poësis generibus, quae maiore amplitudine maiorem parant laudem, illa aetate quam maxime florentibus, exigua haec poëmata nondum tanquam singulare aliquod genus, ut postea factum est, elaborari et variari coepta sunt. Ab his primariis generibus quibus veluti gradibus ad alia posthac transitum sit, aliqua ex parte cognosci potest. Sic ex operum anaglyphorum[63]) in monumentis sepulcralibus interpretatione (Anth. Pal. VII. 710), vel ex tabularum pictarum, Diis consecratarum, descriptione (Anth. Pal. VI. 134) orta est permagna illa praestantissimorum epigrammatum copia, quibus artis opera illustrantur; sic satiricis epigrammatis praelusit Simonides (Anth. Pal. VII. 348 v. supra. p. 17.); sic sententiosorum initia fuisse verisimile est epigrammata, qualia supra commemorata sunt p. 18. ann. 58; sic denique ex Simonidis epigrammate in arcum post bellum Persicum in Minervae templo depositum (Anth. Pal. VI. 2), et in hastam crebro usu tritam et in Jovis Panomphaei templo suspensam (Anth. Pal. VI. 52) natum est id epigrammatum genus, quo instrumentorum, quibus quis in arte aut in opificio usus erat, consecratio celebratur.

CAP. V.

Restat, ut paucis verbis demonstrare conemur, quomodo factum sit, ut epigramma, angustis nudae inscriptionis finibus mature relictis, ad artis praestantiam et virtutem excoleretur.

Ubi in columna Isthmiaca Thesei, quae fertur, inscriptionem[64]) legimus: *Τάδ' οὐχὶ Πελοπόννησος, ἀλλ' Ἰωνία*, pulchri sensu non commovemur, sed edocemur tantum, nos in confinio illarum terrarum stare; nuda est igitur inscriptio poësisque expers, quippe solam utilitatem spectans. Nec magis poëtica sunt, quae Hipparchus in Hermis inscribere solebat[65]):

Ἐν μέσσῳ γε Θρίης τε καὶ ἄστεος, ἆνερ, ὅδ' Ἑρμῆς·
Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· στεῖχε δίκαια φρενῶν.
Μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα.

quia e re proposita non cognoscimus, cur hoc nobis praecipiatur. Si vero, levi mutatione facta, ipse Mercurius, commercii praeses, se viae, cuius in medio positus esset, custodem

---

63) De horum vi et significatione cf. Welcker syll. p. 134 sqq. Aliter statuit Lud. Friedlaender: de operibus anaglyphis in monumentis sepulcr. grr. Regiomonti 1847. De sirenibus p. 32 sqq.

64) Welcker l. l. n. 215.

65) Welcker l. l. n. 117. Boeckh. Corp. Inscr. n. 12 p. 32 sqq.

iniuriaeque viatoribus illatae vindicem esse pronunciaret ideoque praeciperet, ut iustitiam colerent praetereuntes, non aliunde repetita esset cohortatio, sed cum ipsa re, ubi legitur, bene congrueret et cohaereret, iustumque hoc esset epigramma, cuiusmodi multa in Anthologia exstant. Necesse est igitur, vel rebus ipsis insit, quo intuentium animi moveantur, vel scita sententiarum conformatione inferatur. Illud cum maxime cadat in eas res, quae antiquiorum poëtarum epigrammatis illustrari solent, cum solo monumentorum sepulcralium et donariorum conspectu intelligamus, quibus animi affectibus commoti fuerint, qui ea condiderunt et vel luctus vel pietatis documenta esse voluerunt, cum quo pulchriora reique propositae aptiora sint, eo facilius animus noster, idem ut sentiat, permoveatur: inscriptionibus ea tantum indicentur opus est, quae monumentis ipsis non docemur, velut defuncti vel dedicantis nomen, genus, patria. Hoc inscriptionum genus, quod totum ex re aliqua externa pendet, eique interpretandae accommodatum est, antiquissimum fuit. Quam diu vero solis in rebus inerat, quo sensus excitaretur, et inscriptiones merum erant additamentum, quod nullo significationis detrimento etiam abesse poterat, ad poësim illae non pertinebant, quippe cuius, ut omnis omnino artis, haec sit suprema lex, ut, quae hoc nomine digna sint, non aliena sequantur, sed in se habeant et finem et caussam. Poësis igitur ut naturam induerent, accedere iam aliquid oportebat, quo ipsae legentium animos moverent ac tenerent. Quod qua alia re efficacius fieri potuisse putabis, nisi quod, ipsi quid sensissent epigrammatis auctores, verbis exprimere studebant? Unde cum duplex ortum esset epigrammatis quasi munus, ut cum inscriptionis instar, cui originem debebat, res illas externas exponeret, tum ad lyricae poësis legem poëtae mentem et consilium exprimeret, duplex etiam ratio nasceretur necesse erat. Prout enim alterutram magis sequebantur poëtae, aut rebus narratis suam simul mentem indicabant una saepe vocula proditam, aut rerum expositione posthabita, quid ipsi sensissent, illustrare malebant. Ab illa, quam priorem fuisse et tempus et res ipsa comprobant, ad alteram transitum, et poësim epigrammaticam ita excultam esse, ut a rebus externis ad ea, quae animo cogitata sensaque erant, verbis exprimenda traduceretur, cum universae poësis lyricae, tum epigrammatis historia probatur.

Archilochi, antiquissimi in hoc genere poëtae, duobus epigrammatis duorum, quae antiquiorum temporum usu celebrata erant, generum ratio quasi in archetypo expressa refertur. Quod tempore primum est (Anth. Pal. VII. 441), non item ab arte est simplicissimum; etenim non narrat poëta, sed terram alloquitur, quae tantos tamque graves viros contegat. Duobus vocabulis leniter mutatis (ἣ μεγάλη γαῖ᾽ ὑπένερθεν ἔχει) res narratur; at allocutione quanto vividior fiat oratio, non est quod moneam. Multa tamen exstant epigrammata eaque ab arte laudatissima, quae simpliciorem rationem sequuntur. Primo loco commemorandum est Sapphus epigr. II. (Anth. Pal. VII. 505), quo sine ullo verborum ornatu filii piscatoris tumulo pater artis instrumenta imposuisse narratur, tanquam miserae vitae signa; quanta tamen cum

in ipsa re, tum in vocabulo κακοζοΐα, fere praeter exspectationem addito, vis inest ad legen tium animos commovendos? Nec virtute cedit alterum Sapphus epigramma (A. P. VII. 489) Huius generis epigrammatis clarissima nomina inscripta legimus, velut Aeschyli (VII. 255)- Thucydidis (VII. 45), Euripidis (App. 27). Omnes tamen arte superavit Simonides, cuius in hoc genere praestantissima sunt epigrammata. In summa enim brevitate, qua Lacedaemoniorum apud Thermopylas occisorum virtus celebratur (VII. 249), summa vis est ad admirationis sensum movendum. Nec minore laude digna sunt epp. VII. 677. 347, 47, in Anacreontis sepulcrum VII. 24, 25, alia permulta. Quare elegantissimi harum rerum iudicis[66]) sententiae subscribere non dubitamus, qui hisce simplicibus epigrammatis magis se delectari confitetur, quam inferioris aetatis vel artificiosissimis.


A sola rerum expositione ad lyricae artis formam primum ita transitur, ut poëta ipse narrandi munere fungatur, vel defunctum alloquens, ut in Anacreontis VII. 263, Simonidis VII. 301, 254, 20, vel Plutoni iniustitiam exprobrans, quod naturae legibus turbatis puellam filiam ante vetulam matrem ad inferos devocaverit (VII. 187). Etiam suo nomine poëta loquitur et vel spectatores, ut secum memoriam defunctorum colant, hortatur (VII. 442), vel mortuo se de eius obitu maxime lugere dicit (Anacreontis ep. XIII. 4). Ipsi denique mortui qui sint, quaeque gesserint, narrant (Simon. ep. VII. 431, 253, 250), et viatorem alloquuntur (VII. 507). Prorsus lyrica est mortui in eos imprecatio, qui ipsum spretis Iovis ξενίου legibus necaverint (Simonidis ep. A. P. VII. 516).

Eodem fere ordine in altero genere ad lyricam poësim progressio facta est. Primum Archilochi in Alcibiam epigramma (Anth. Pal. VI. 133) exponentis vel, si malis, plasticae rationis luculentum exhibet exemplum; narrantur tantum res, sed ita narrantur, ut poëtae mentem facile assequaris; voluit enim puellae legitimis de nuptiis laetae Iunonique gratias agentis suavem nobis proponere imaginem laudabilisque pietatis sensum excitare. Eandem rationem multa priorum poëtarum epigrammata sequuntur, veluti Anacreontis epp. Anth. Pal. VI. 135, 140, 141, Simonidis epp. VI. 215, XIII. 19, 20, Planud. IV. 232, Bachylidis ep. Anth. Pal. VI. 53, quibus, licet simplicis narrationis finibus contineantur, permagna tamen inest vis ad legentium animos vel admirationis vel pietatis sensu implendos: adde quae supra (p. 20) commemoravimus epp. VI. 2, 52. Hanc vim haud mediocriter augeri et ad lyricae poësis formam magis iam accommodari ea epigrammata iudicabis, quibus ipse invocatur Deus (ut in Anacreontis ep. Anth. Pal. VI. 142), ut vel benigne dona accipiat (Anacreontis VI. 137), vel pro illis faveat (VI. 346) sexumque muliebrem nobilitet (Sapphus ep. VI. 269); namque non solis rebus narratis sensus exprimitur, sed ipse, qui dona dedicavit, suis verbis, quid sentiat

---

66) Herderi l. l. p. 176.

optetque, eloquitur. Eo deinde transitum est, ut rebus dedicatis vox quasi affingeretur, qua praetereuntes alloquerentur, et, quo sensu commotus fuisset dedicantis animus, proderent atque in eiusdem partes lecturos vocarent. In Anacreontis ep. Anth. P. VI. 143 quicunque donarium spectaturus est, ut pro dedicatoris salute Mercurium invocet, monetur. Simplicius Simonides tripodem, ab Hierone et fratribus dedicatum, res bello adversus Carthaginienses, ut videtur, gestas praedicantem inducit (A. P. VI. 214). Levi mutatione facta, donarium eum, qui dedicavit (A. P. VI. 213), vel ipse poëta dedicantem alloquitur (A. P. VI. 197). Cum denique, qui dedicavit, ipse quid gesserit et quo consilio monumentum erexerit, suo nomine exponit (A. P. VI. 197), tum omne sensus movendi munus, rebus repraesentatis demptum, ipso carmine expletur, et epigramma lyricae poësi, quoad eius fieri potest, proxime accedit. Cuius e generibus firmissimo similitudinis et quasi necessitudinis vinculo cum elegia coniunctum tenetur, quippe cum utrique eadem sit lex, ut animi externa aliqua re commoti sensus exprimant ac depingant. Differunt tamen eo, quod in elegia, quotquot deinceps in animo, nascuntur sensus motusque, effundi quasi ac confici soleant, epigrammate unus tantum sensus una sententia, quae totum animum commovet et complet, exprimitur atque illustratur, unde nata est eius summa in brevitate summa vis et efficacitas.



Schul-Nachrichten.

I. Lectionen.

Erste Klasse.

34 Stunden. Ordinarius der Rektor.

Deutsch 2 St. Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Geschichte der deutschen Literatur, die Zeit von Göthe bis in die Periode der neueren Romantik. Prorektor Weichert.

Latein 10 St. Tacit. Germania. Hist. I, 1 — 66. 2 St. Rektor. Horat. Odd. lib. IV. Epist. lib. I. 2. St. Prorektor Weichert. Cic. de Orat. I. II. 4 St. Zumpt's Aufgaben 98 — 112. 1 St. und Korrektur von 14 freien Arbeiten. 1 St. Prof. Dr. Kampmann. (Privatim las Prof. Dr. Kampmann mit einer Anzahl Primaner den Trinumus des Plautus; der Rektor gab eine Extemporale-Stunde).

Griechisch 6 St. Thucyd. IV, 9 — 103. Scripta (12 Capp. aus Tacitus in das Griechische übersetzt, mit Rücksicht auf den Sprachgebrauch des Thucydides). 2 St. Rektor. Plutarchi Alcibiades. 2 St. Pror. Weichert. Sophocles Oed. Tyr., Homeri Ilias I. II, 206 und XVI. 2 St. Prof. Dr. Kampmann. (Privatim las der Rektor mit den älteren und einigen jüngeren Primanern den Staat des Plato. Die meisten Primaner lasen für sich Sophocles, auch Euripides und Aeschylus, wobei sie mit Ausgaben aus der Legat-Bibliothek unterstützt wurden).

Französisch 2 St. Im Sommer wurden mehrere Stücke aus Menzel's Handbuch gelesen, im Winter Molière's L'Avare. Schriftliche und mündliche Uebungen. In der dazu bestimmten Stunde wurden auch die alle 14 Tage gelieferten Exercitien nach der Korrektur durchgegangen. Kollaborator Thiel.

Hebräisch 2. St. Ps. 42 bis 56. Exod. c. 1 — 25 und 31 — 34. Ausserdem schriftliche Uebungen zur Wiederholung und Einübung der Grammatik. Oberlehrer Rath.

Religion 2 St. Die Christliche Lehre, begründet auf die H. S. Zuletzt die Leidensgeschichte im Urtext synoptisch gelesen. Rektor.

Mathematik 4 St. Wiederholung des arithmetischen Cursus von II. und der ebenen Trigonometrie. Die cubischen Gleichungen, die Stereometrie und die Combinationslehre mit dem Erweis des Binomialsatzes. Einübung der erwähnten Abschnitte durch Aufgaben in Extemporalien und häuslichen Arbeiten. Oberlehrer Kambly.

Physik 2 St. Nach einer kurzen Wiederholung der Einleitung und der Lehre von den allgemeinen Eigenschaften der Körper die Lehre vom Licht, von der Wärme, vom Magnetismus und von der Electricität. Oberlehrer Kambly.

Geschichte und Geographie 3 St. Die Römische Geschichte Lateinisch wiederholt nach Zumpt's Annales. Geographie von Altitalien. 1 St. Rektor. Geschichte des Mittelalters bis zum Anfange des 13. Jahrhunderts. Prorektor Weichert.

Philosophische Propädeutik 1 St. Die Logik. Rektor.

Zweite Klasse.

34 Stunden. Ordinarius Professor Keil.

Deutsch 2 St. Erklärende Lectüre aus O. L. B. Wolff's prosaischem Hausschatz; freie Vorträge. Schriftliche Uebungen. Oberlehrer Guttmann.

Latein 10 St. Virgil. Aen. V, 194 — VII. 600. 2 St. Prof. Dr. Kampmann. — 2 St. Livius (cursor). Lib. XLII. cap. 26 — Lib. XLIV. cap. 32. Oberlehrer Guttmann. — 3 St. Cicero pro S. Roscio Amer. und de amic. Aus beiden Schriften wurden Stücke memorirt und oft wiederholt. Die Privatlectüre der Schüler im Lat. und Griechischen wurde vierteljährlich controllirt. Prof. Keil. — 2 St. Exercitia aus Seyffert's Uebungsbuche, theils schriftlich, theils mündlich corrigirt; daneben Extemporalia. Derselbe. — 1 St. Prosodie nach Zumpt's Grammatik, nebst schriftlichen Versificationsübungen; horazische Oden und Fabeln des Phädrus wurden mit besonderer Rücksicht auf den Versbau erklärt und von den Schülern memorirt. Derselbe.

Griechisch 6 St. Davon 3 St. Arrian's Anabasis III. IV. Derselbe. — 2 St. Hom. Od. XIII. XIV. XV. XVI. Derselbe. — 1 St. Grammatik nach Krüger und Exercitia aus den Aufgaben von Rost und Wüstemann, mit schriftlicher Korrektur. Derselbe.

Französisch 4 St. Ahn, franz. Lesebuch für die oberen Klassen. Einzelne Stücke aus der erzählenden, beschreibenden, belehrenden und rednerischen Prosa. Allwöchentliche Korrektur schriftlicher Arbeiten. Pror. Weichert.

Hebräisch 2 St. Formenlehre nach der Grammatik von Gesenius; ausgewählte Stücke aus dem Lesebuch von demselben; ausserdem Uebersetzung aus Maurer's Lesebuche und Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Oberlehrer **Rath**.

Religion 2 St. Die Christliche Glaubenslehre, nach Anleitung des Apostolischen Bekenntnisses nebst der Lutherschen Erklärung. Prof. **Keil**.

Mathematik 4 St. Die Lehre von der Aehnlichkeit geradliniger Figuren und der Proportionalität gerader Linien am Kreise. Berechnung der Seiten regulärer Polygone und Rectification und Quadratur des Kreises. Gleichzeitig die Rechnung mit reellen und imaginären Wurzelgrössen und die Gleichungen des 1. und 2. Grades. Dann die Logarithmen, die arithmetischen und geometrischen Reihen, die Zinses-Zins-Rechnung und die ebene Trigonometrie. Oberlehrer **Kambly**.

Physik 1 St. Einleitung. Uebersicht der allgemeinen Eigenschaften der Körper, Eintheilung der Physik und die Lehre vom Licht. Oberlehrer **Kambly**.

Geschichte und Geographie 3 St. Geographie und Geschichte Roms bis 30 a. Chr. Oberlehrer **Guttmann**.

Dritte Klasse.

32 Stunden. Ordinarius Oberlehrer **Rath**.

Deutsch 2 St. Schiller's „Spaziergang", Göthe's „Hermann und Dorothea" und einige kürzere Göthesche Gedichte erklärt mit Berücksichtigung des Versmasses. Kurze Wiederholung der Satzlehre. Uebungen im Disponiren. Vorträge von Gedichten und prosaischen, zum Theil von den Schülern selbst gearbeiteten Aufsätzen. Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Bis Weihnachten Dr. **Fischer** dann Kollege **Hänel**.

Latein 10 St. 3 St. Cäsar d. b. G. lib. 4 und 7, c. 1 — 10 statarisch; lib. 1 bis c. 40 cursorisch. 1 St. ausgewählte Stücke aus Friedemanns Chrestomathie. — 3 St. Grammatik nach Zumpt, die Lehre von den Casus, dem Verbum und die Syntaxis ornata zum Theil; dazu Beispiele memorirt. Aus Süpfle 64 Stück übersetzt und durchgenommen; ausserdem 16 Specimina in der Klasse angefertigt und korrigirt. Oberlehrer **Rath**.

Ovid. Met. XIII. 381 — XIV. 40. In beiden Semestern Prosodie und Einübung der prosodischen Regeln. 2 St. Prof. Dr. **Kampmann** bis Neujahr, dann Dr. **Grosser**.

Griechisch 6 St. Grammatik 2 St. Wiederholung der Formenlehre, namentlich des Verbums, die Verba anomala, Wortbildung, Casuslehre, nach Krüger. — 1 St. Exercitien und Extemporalien. Am Ende jedes Halbjahrs wurden die beiden Crammatik-

stunden auf Lektüre des Homer und Vorbereitung dazu verwendet, und zwar wurden im Sommer vom 4., im Winter vom 5. Buch der Odyssee etwa die ersten 150 Verse gelesen, nachdem vorher in einer wöchentlichen Extrastunde mit den Besseren der Klasse die Lektüre des 3., im Winter des 4. Buches vollendet worden war. — Xenoph. Anab. 3 St. Buch II. Kap. 5, bis zum Ende des III. Buches. In diesen 3 St. wurden auch Vokabeln nach Ditfurt hergesagt. Kollaborator Thiel.

Französisch 2 St. Grammatik nach Simon. Lektüre aus Ahn's Lesebuch I. Extemporalien. Kollege Hänel.

Religion 2 St. Bibelkunde. Das Neue Testament. Wiederholung des Lutherischen Katechismus. Oberlehrer Rath.

Mathematik 4 St. Planimetrie. Nach einer Repetition des planimetrischen Cursus von IV. wurden die §§ 61 — 127 in Kambly's Planimetrie durchgenommen.

2 St. Arithmetik. Wiederholung und weitere Einübung der bürgerlichen Rechnungen und der Quadratwurzel-Ausziehung. Die Ausziehung der Kubikwurzel, die Theorie der Proportionen und die Buchstabenrechnung. Oberlehrer Kambly.

Geschichte 2 St. Bis Weihnachten: allgemeine Weltgeschichte von Augustus bis zum Jahre 1273. Dr. Fischer. Von Weihnachten: fortgesetzt bis 1789 — vorzüglich deutsche Geschichte. Oberlehrer Rath.

Geographie 2 St. Alte Geographie von Gallien in Verbindung mit der jetzigen Eintheilung Frankreichs — in Rücksicht auf die Lektüre des Cäsar. — Schlesien speciell — Europa — vorzüglich Deutschland — in Bezug auf Gebirgs- und Fluss-Gebiete. Oberlehrer Rath.

Naturgeschichte 2 St. Die organische Körperwelt, erläutert nach ausgewählten Paragraphen aus des Lehrers „Grundzügen einer allgemeinen Naturgeschichte“. Das Vorgetragene wurde von den Schülern regelmässig ausgearbeitet. Kollege Dr. Körber.

Vierte Klasse. A.

32 Stunden. Ordinarius Oberlehrer Stenzel.

Deutsch 3 St. Sommer und Winter: Synonymische Uebungen und Erläuterung von schwierigen Satzverbindungen. Lektüre nach Lehmanns Lesebuch II. Theil. Erklärung der dactylischen, trochäischen und jambischen Versmasse. Korrektur von Aufsätzen und Vortrag von Gedichten. Kollege Neide.

Latein 8 St. Man las Cornel, von Alcibiades Anfang bis Phocion Ende, und übte Zumpts Syntax ein, mündlich an Grubers Uebersetzungsbuch für Tertia, schriftlich an Aufgaben vom Lehrer entworfen, in wöchentlichen Exercitien und Extemporalien;

nebenher wurde Wiggerts Vocabularium durchgegangen und eine Anzahl Stellen aus Cornel auswendig gelernt. Ordinarius.

Griechisch 4 St. Einübung der Formenlehre nach Krüger, Mehrung des Wortvorraths nach Ditfurts Vokabular sub Nro. 1 und 2, Lektüre: Strabo's Geographie von Afrika und Lucian's Gespräche nach Jakob's Auszuge; die wöchentlichen Arbeiten wie vorhin. Ordinarius.

Französisch 3 St. Die Lehre vom Numerus und Artikel. Das regelmässige und unregelmässige Verbum, nach Wolfart. Formen des französischen Verbums. Lektüre nach Ahn. Das Gelesene ward memorirt. Kollege Neide.

Religion 2 St. Die Lehre von Gott, von den Pflichten und von den letzten Dingen. Die beweisenden Stellen der Schrift wurden fest gelernt, grössere Abschnitte gelesen, das Echo der Bibel, der Katechismus, wiederholt, geist- und herzstärkende Liederverse mit auf den Weg gegeben. Ordinarius.

Mathematik 4 St. 2 St. Planimetrie. Die ersten 60 Paragraphen nach dem eignen Leitfaden. 2 St. Arithmetik. Wiederholung der Rechnung mit gemeinen Brüchen; die Decimalbrüche, die Kettenbrüche, die Quadratwurzel - Ausziehung, die bürgerlichen Rechnungen und die Theorie der Proportionen. Oberlehrer Kambly.

Geschichte 2 St. Die Geschichte der Deutschen und des Preussischen Staates von ihren Uranfängen bis zum Jahre 1815, mit Seitenblicken auf die wichtigeren Ereignisse bei den übrigen Völkern Europas. Ordinarius.

Geographie 2 St. Man orientirte sich zuerst in Breslau, bereiste dann Schlesien, den Preussischen Staat, Deutschland und seine Nachbarn: die Schweiz, Frankreich, Belgien und Holland, Dänemark, Russland mit gelegentlicher Beifügung unvermeidlicher Kenntnisse aus der mathematischen und physikalischen Geographie. Ordinarius.

Naturgeschichte 2 St. Das Wissenswürdigste aus der Geognosie. Kollege Dr. Körber.

Kalligraphie 2 St. Schreibmeister Rektor Haucke.

Vierte Klasse. B.

32 Stunden. Ordinarius Kollaborator Thiel.

Deutsch 3 St. Lektüre und Erläuterung ausgewählter poetischer und prosaischer Stücke, zum Theil aus Lehmanns Lesebuch II. Theil; Erklärung der gebräuchlichsten Dichtungs- und Versarten, Uebungen im Deklamiren, Korrektur der schriftlichen Arbeiten. Dr. Grünhagen.

Latein 8 St. Cornel 4 St. Pausanias bis Datames incl. — Grammatik 2 St. Sommer: Nach Zumpt Lehre von Subjekt und Prädikat, Casuslehre (specieller), das Wichtigste der Tempus- und Moduslehre. Am Anfang des Semesters Wortbildungs-

lehre nach Wiggert. — Winter: Dasselbe. Theile der Formlehre gelegentlich wiederholt. — 1 St. Die wöchentlich korrigirten Exercitien wurden durchgegangen. Extemporalien. — 1 St. Vokabeln nach Wiggert wurden hergesagt und an passenden Beispielen eingeübt. Kollaborator Thiel.

Griechisch 4 St. Die Formenlehre bis zum Verbum pur. und liquid. incl. nach Krüger's kleiner Grammatik. Schriftliche Uebungen: Uebersetzt aus Jacobs I. Cursus. Vocabeln aus Ditfurt (halbjährlich). Bis Weihnachten Rektor, von da an Dr. Grosser,

Französisch 3 St. Leseübungen; Declination; Zahlwörter; die Pronomina; die Hülfsverba und das Verbum der 1. und 2. Conjugation, in der activen, passiven und reflexiven Form. Der Cursus ist halbjährig. Pror. Weichert.

Religion 2 St. Combinirt mit IV. A.

Mathematik 4 St. Anfangsgründe der Geometrie bis zu der Kongruenz der Dreiecke. Einübung der Rechnung mit Decimalbrüchen, Kettenbrüchen, die Wurzelausziehung und Repetition der bürgerlichen Rechnungsarten. Bis Michaelis Kandidat Kinzel, dann Kandidat Faber.

Geschichte 2 St. Brandenburgisch-Preussische Geschichte von den ältesten Zeiten bis zum Tode Friedrich des Grossen. Dr. Grünhagen.

Geographie 2 St. Im Sommerhalbjahr Europa, mit Ausschluss von Deutschland, im Winterhalbjahr Deutschland hauptsächlich in Beziehung auf Gebirgs- und Flussgebiete. Dr. Grünhagen.

Naturgeschichte 2 St. Im Sommer Botanik. Kandidat Kinzel. Im Winter die Klassen und Ordnungen des Thierreichs. Die Säugethiere. Kandidat Faber.

Kalligraphie 2 St. Combinirt mit IV. A. (Die den Konfirmanden-Unterricht besuchenden Schüler 1 St. bei Kollege Neide.)

Fünfte Klasse. A.

32 Stunden. Ordinarius Oberlehrer Guttmann.

